

expulsi in *Aegyptum* se diffuderunt, sed illam non subegerunt. Adeo ut hæc potius inter *rumores* referrem, quæ de v. 44. qui *Turcam* plus vice simplici conturbarunt. Porro *Terra sancta* *Grafero* est *Ecclesia Catholica visibilis*, quam *Antichr. M.* brachio inuasit spirituali. *Edom & Moab* sunt filie ejus particulares, representativæ *Ecclesiarum Græcæ & Æthiopicæ*, quippe quæ eandem nobiscum tueantur causam & religionis & libertatis. *primitiæ Ammonitarum* est ipsi cætus *Electorum*. Sed dubiâ nititur hypothesi, ac si *gentes* modò laudatæ *pars* essent *terra decoris*, *membra ac tribus*. cum non magis esse legantur, quàm *Ægyptus*. Si tamen à litera recedere cogeremur, *B. Lutheri & Theodorei* sententiâ longè foret præferenda, quibus *Edomite Martires*, qui *virtute sanguinis Christi quasi purpurati*, *Moabite fideles* inter electum Dei populum adscripti, sicuti *Ammonite infantes* à Baptismo recens demortui dicuntur. Hinc *terra Ægyptiaca* secundum *Graferum*, adumbrat totum genus barbararum Nationum & *Terra decoris* opponitur, eò quod *Ægyptii, Libyes & Cuschite* à *Chamo* descendant, *Edom, Moab & Ammon* ab *Abrahamo*. Proinde *Libyes*, ex ipsius mente, sunt *Indi Occidentales*, *Americani*; *Cuschite* verò *Indi Orientales*, quasi *Æthiopicæ*, qui *ultra sinum Persicum Orientem* accolunt. *Manus* ipsi sunt *Argonautæ Hispani, dextrum Papatus brachium*; hodie dolo an virtute *Gallorum* benè debilitatum. qui penitissimos terræ thesauros excusserunt, ac aureū vellus *Indiarum* sunt expiscati. quod tamen hac rerū facie cum *Belgis & Lusitanis* dividere coguntur.

h. l.

Ex. 8. p. 380.

§. 40. Hæc si firmo starent talo, quæ impræsentiarum sigillatim expendere nostri non est instituti, facile subscribe-remus iis, quæ subnectit *Graferus*: *perterritum* fuisse *Anti-Christum M. Ecclesiasticum ab Ortu*, quando *Otmannide A. 481. Italiã & Calabriam* invaderunt, ubi capta *Rhodus* insula, loca alia. id quod *Sixto IV. & Romanensibus* insigne infortunium minitabatur. non inferebat tamen. *A Septentrione*, sed non solo, *terrefactum* fatemur *clangore tubarum Evangelii*, quarum sonus in univèrsam Orbem exivit ac percrebuit. quibus *utrumq; crus & Monarchia seculari & spirituali P. R. concussum* fuit. His rumoribus perculsus, non destitit tamen vi externâ partim, partim frau-

Exerc. 9.